

Spe pretii taxant, prælia, jura, manus.
 Aurum castra locat, classem parat exerit enses,
 Sperrera vim, ventos, æquora, telat docet.
 Solvit conjugium, perrumpit claustra pudoris,
 Sacras eade manus inquinat, ora dolis.
 Auro perjurus Polimnestor, adultera Dane,
 Perfida Tarpeia, trux Eriphile fuit.
 Auro Crassus obit, auro ruit Amphiarus,
 Auro castra, duces, vis, populique cadunt.

CAP. IV. *De ambitione*

Quem vero nec res, nec femina frangere possunt,
 Ambitus expugnat, consceleratque pium.
 Ambitus in vitium mores deflectit, et infra

A Possesse suum quemquam non sinit esse reum.
 Hujus opus turbare duces, mutare coronas,
 Innocuus lethum, sceptrâ parare reis.
 Urbibus exoidium, templisque parare ruinam,
 Sternere patricos ensibus, igne lares.
 Naturam vitiiis, superos offendere ritu,
 Parcere tunc tantum cum nocuisse nequit.
 Ludibrio reges exponere, regna rapinis,
 Flagitiis matres, exalioque senes.
 Quem semel arripiunt tantæ contagia cladis
 Cuncta licere putat, dum sibi regna paret
 Sustinet hic gladios in patrem ferre, nec unquam
 Fraude, cruore, dolis, mens, manus, ora vacant.

AD VITAM SANCTI LICINII EPISCOPI ANDEGAVENSIS MONITUM

1417-1418 Hanc sancti Licinii Vitam apud Bollandum, 13 Februarii, a Marbodo concinnatam; præcedit altera ab auctore Andegavensi anonymo edita, paulo prolixior, quam ipse Marbodus rogatu canonicorum Ecclesiæ Andegavensis contraxit, et in meliorem formam elegantiori stylo redegit, et quam huic præmittere superfluum censuimus, cum ad eam, si libuerit, curiosus lector recurrere possit. In cujus operis gratiam pro eo adhuc vivo, et tandem defuncto quasdam preces se persolutores spoderunt præfati Andegavenses canonici. Hujus sponsionis actus originalis in Tabulario monasterii Sancti Sergii Andegavensis paulo diversus ab eo qui apud Bollandum visitur. In hoc enim Marbodus *archidiaconum* s. nominat; in autographo sancti Sergii vocat se *sacerdotem diaconam*: quod, ut puto in idem recidit, nisi quod, ut sæpe accidit, quandoque archidiaconi non erant sacerdotes. Ex hac porro sponsione nonnulli opinati sunt Marbodem non fuisse canonicum Andegavensem; quippe qui cum canonicis quasi extraneus pacteretur. Cui opinioni non facile subscriberem, cum in insignioribus capitulis nihil vitiatius quam hujusmodi fundationes, quas canonici particulares de suo peculio faciant, et quibus alios concanonicos suos sub certis conditionibus ad quasdam pro se defunctis persolvendas preces publicas astringunt. Quod adeo verum est, ut dum hæc scribo, in Obituario insignis Ecclesiæ Parisiensis, qui forte mihi obtigit, in solo primo mense Januario usque ad decem et septem hujusmodi fundationes notaverim, et sic de cæteris. Quod in Parisiensi, hoc in Carnotensi, et aliis celebrioribus Ecclesiis usu receptissimum; nec inde, ut mihi videtur, concludendum hujusmodi fundatores non fuisse ejusdem Ecclesiæ canonicos; nec ideo ex actu præfato inferendum existimo Marbodem non fuisse canonicum Andegavensem, cum et hic præfatos canonicos expresse *fratres suas* appellet, quod nonnisi canonico convenire videtur.

VITA SANCTI LICINII

EPISCOPI ANDEGAVENSIS,

Auctore MARBODO archidiacono Andegavensi, ac postea Redonensi episcopo
 (E duobus veteribus manuscriptis, apud Bollandum, 13 Februarii.)

PROLOGUS AUCTORIS.

1. Vitam et actus beati Licinii episcopi et confessoris explicare cupientes, Dominum Deum, a quo omnis sapientia est, voluimus invocare; ut eodem sancto intercedente, ostium nobis sermonis aperiat, quatenus et vera, et non superflua, et auditoribus profutura dicamus. Quod ita demum fieri posse putamus, si nihil gestorum præmittentes, sicut ea ex priori (67) editione collegimus, diversas abjectiones et replicationes, quæ vel prolongationis vel ostentationis notam habent, magisque lectori tedium, quam lectioni ornatum afferunt, ex toto recidamus. Hæc enim vel maxime causa exstitit, quæ fratres nostros ad injungendum nobis præsens opus impelleret, quoniam

B in priori opere superflue orationis importuna loquacitas minuire videbatur materiæ dignitatem. Significat enim quodammodo dicendorum defectum, frequens circa idem verborum revolutio. Neque vero nos aut animi levitate, aut vanitate aliqua ducti sumus, ut quasi alieni operis correctores, et adii nostri ostentatione vellemus vulgares rumusculos aucupari, 1419-1420 sed æternæ potius mercedis intuitu, probabiliumque personarum precibus victi sumus, ut majorem viribus non recusarem laborem. Non enim de nobis, sed de auxilio divino præsumimus. Referemus ergo, quantum poterimus, sub ope Christi, quæ dicenda sunt, salva rerum fide, ad prædicti sancti laudem, et gloriam Dei: non solum nostram,

(67) Marbodus priorem sancti Licinii Vitam expoliit rogatu canonicorum Andegavensium.

sed et omnium legentium utilitatem consequi cupientes. Magnum enim studii sui fructum capit, qui ea scribens, quibus ædificentur legentes, multorum profectibus famulatur. Dabimus igitur operam oratione uti mediocri et temperata, quatenus nec gravitas obscuritatem, nec humilitas utilitatem, nec tædium prolixitas operetur. Lectoris autem partes erunt, attente et fideliter hæc accipere; ne sibi, quod ad salutem comparatum est, in perniciem vertat, dum negligit. Sed jam narrationis initium faciamus.

CAPUT PRIMUM.

Sancti Licinti studia, officia palatina, sanctioris vitæ professio.

2. Igitur Lucinius, clarissimo genere ortus (reges enim Francorum in suis majoribus numeravit), bonis omnibus animæ et corporis a natura ditatus, felicitatem suam virtutis studio cumulavit. Cujus jam inde a pueritia talis exstitit conversatio, ut in eo futuræ cujusdam perfectionis, et inusitati exempli species præluceret. Nam præter exterioris formæ bonitatem, et vultus modestiam, qua spectantium mentes occulto quodam munere permulcebat; illud in puero cernebatur egregium quod ea vitia, quæ novellæ ætati videntur ingenta, et quasi jure naturæ omnibus dominantur, jam tunc Dei gratia præventus aspernabatur. Neque enim vel ad ludendum nimis, vel ad edendum importunus, vel ad loquendum garrulus erat. Non iram temere colligebat, nec inter cœvos superbula violentia grassabatur; non animi levitate, ut est puerilis mobilitas, ad diversa protinus reptabatur, ut cupide quid inceptum repente contemneret. Prorsus in puero virilis constantiæ plurima videbantur.

3. Cum ergo post prima elementa, sicut liberi nobilium solent, in disciplinam litterariam datus esset, ibi vero generosæ naturæ benignitas et ingenium capax enituit. Audita a magistris facile capiebat et retinebat memoria. Nec ejus attentionem, sicut plerumque solet, timor verberum extorquebat, sed amor scientiæ accendebat. Doctoribus reverentiam, pædagogis obedientiam, condiscipulis benevolentiam, omnibus humilitatem noverat exhibere. Nec aliena tarditate offensus, nec de suo est acumine gloriatus. Non operum tantum, sed et verborum turpitudinem sic horrebat, ut eam nec in aliis irreprehensam pateretur. Jam plane puer censorius a contubernali-
libus timebatur, si quid auderent illicitum. Æmulorum inimicitias tolerabat æquanimiter, sinebat velociter. iram patientia, superbiam humilitate vincebat; detractionibus sociorum nec aurem nec linguam adhibuit; contumelias in se jactatas dissimulavit, in alios mitigavit. Prorsus in professione discipuli morum magister factus erat.

4. Decursis ergo in hoc studio pueritiæ annis, cum sibi ad magistrorum scientiam in sacris et sæcularibus litteris propria industria non modicum adjecisset, ad imperium patriæ, qui primum post regem in palatio locum tenebat, compulsus est phi-

losophiæ renuntiare, et ab otio ad negotia, a studio ad militiam, a scholasticis ad palatina munera translatus est. Quem rex Clotarius, cum propter sanguinis propinquitatem, tum propter egregiæ formæ dignitatem ac morum elegantiam quæ in adolescente eminebant, libens suscepit, brevique post tempore singulo militiæ honoratum, inter amicos habere cepit, dignum plane cognitum, cum quo de magnis rebus, et regni administratione tractaret. Non enim illi deerat, vel ad consulendum prudentia, vel ad tegendum fides, vel strenuitas ad exsequendum. Nec expedita facundia carebat, nec amore justitiæ: unde et actioni causarum et jurisdictioni perutilis videbatur.

5. Præterea perpetuæ castitatis custos et cultor, de sua familiaritate regis apud omnes judicium decorabat. Erga commilitones suos ita se gessit, ut singulorum gratiam aliquo studeret obsequio demereri. Omnibus affabilem se præbebat; omnium necessitatibus, si opæ non posset, occurrebat consilio; omnium contristabatur advertis; in suis lucris omnium prospere numerabat. Apud regem proderat quibus posset, poterat autem omnibus quibus vellet. Sic nullus relinquebatur, ad quem non ejus aliquod beneficium perveniret. Prædicabat facta fortia singulorum, cum de ipsius virtute præter ipsum nullus sileret. Prorsus in aulæ satellitio procuratoris partibus fungebatur. Unde factum est, ut a rege, flagitantibus cunctis, tribunus militum crearetur, qui nunc more nostro comes Stabuli nuncupatur. Quod officium sic transegit, ut ampliori dignissimus haberetur. Animus tamen ejus inter hæc semper vigilabat ad Deum, cui sine intermissione puras fundebat preces, ut se de præsentis sæculo nequam incorruptum eriperet. Sacræ lectioni quoties posset operam dabat; cujus assiduitate desiderium suum ad superna magis ascenderet. Juventulis ardorem crebris jejuniis non tam exstinguebat quam anticipabat, ne per luxum et licentiam humanus animus posset insolescere. In pauperes et afflictos usque adeo misericordiæ visceribus abundabat, ut nullum in his juvandis loci per temporis prætermitteret occasionem. Plane in milite monachum, in activo contemplativum gerebat, utrumque sic implebat ut alterum, et a neutro ad alterum tardabatur.

6. Interea succedentibus sibi prosperis, cum et patria bona jam ad eum jure hæreditario devenissent, et ex regali munificentia amplissimis polleret honoribus (nam et comes Andegavensium factus erat), cogentibus amicis et ipso rege, de clarissima familia sibi virginem desponsavit, contra animi sui votum, quo cælibem vitam ducere, et abdicatis honoribus jamdudum Deo vacare decreverat. Quam cum traducere jam pararet (mirum dicta!) in solemnem conventu lapra percussam deprehendit. Sic a nuptiarum necessitate, quam sibi amicorum consilia importabant, optato infortunio solutus est.

7. Neque vero ruborem suum, festinato alio ma-

trimonio studuit abolere; sed potius Dei providentiam votis suis concordare intelligens, vertit casum in occasionem, ne tentare iterum cogeretur, quod prius tentatum secus cecisset. Itaque, confirmato animo, ne quod olimolvebat ultra differret, petita prolixius missione, cingulum militiæ deposuit, et caducis renuntiavit honoribus, totumque se in Dei servitium tradens, tonsuram clericalem cum professione suscepit. O quantum **1422** gaudium de se fratribus dedit, quibus Dei laudibus ora omnium adimplevit! Quam multorum corda in compunctionem oculos laxavit in lacrymas, cum viderent illam nobilissimæ stirpis indolem fascibus et divitiis sublimatam, forma præcipuam, gloria perpollentem, contemptis omnibus, Christi jugo generosas inclinare cervices, et de divite pauperem, de potente infirmum, servum de domino spontanea commutatione fieri! Rarum hoc quidem et magnis laudibus prosequendum, ea, cum adsint, sine difficultate contemnere, quorum spem solam vix ullus etiam inter adversa dimittit. Sed Dei servus futuram gloriam cogitabat, cujus pulchritudini comparatum terrenum omne cordescit. Bonum ei erat Deo adhærere, et non in incerto divitiarum, sed in Domino Deo spem suam ponere.

8. Jam vero in clericatu quantum promoverit, ex antecedentibus possumus æstimare. Totam industriam quam sæculi functionibus prius impenderat, ad animæ suæ et fratrum, cum quibus vivebat, utilitatem convertit; et quid ad utrumque divisa intentione suffecerat, collectis viribus maxime suffecit ad alterum. Nunquam illum alti sanguinis gloria titillavit, quominus vilissimorum obsequiis subderetur; nec ejus eruditio indoctorum aliquando simplicitatem irrisit, jejunans aliorum prandiis non detraxit, dormientes excubans non despexit, dissidentes revocare festinavit ad pacem, indisciplinatos ad ordinem; bona sibi omnium ad imitationem, mala vero proposuit ad cautelam. Et cum ab omnibus amaretur ut pater, omnes venerabatur ut dominos.

CAPUT II.

Sancti Licinii functiones episcopales.

9. Secundum Christi præceptum, ad Ecclesiæ convivium invitatus, in novissimo loco recubuerat. Cum ergo jam tempus esset ut ei a Domino diceretur: « Amice, ascende superius (*Luc. xiv, 10*), » dictum est et Andegavensis sedis episcopo, pulsante corpus ægritudine: « Da huic locum (*ibid., 9*). » Defuncto igitur Audouino (68), qui prius Andegavensem Ecclesiam regere videbatur, cum jam sancti viri longe lateque percrebuisse opinio, utriusque ordinis acclamatione, cum promptissimo regis assensu, petitur, rapitur, ordinatur; et qui in domo Dei abjectus esse elegerat, invitus et lacrymans **1423** præesse compellitur. Dignissime plane, ut bona quæ diu per otium in se convexerat, tandem per dispensationem in multorum utilitatem refereret.

(68) Grandinus, *Andouyno*; Gazetus, *Andouino*; Saussaius, et Chesn. t. I *Francic. Audouino*; Claud. Robertus, *Audveno et Audouino*.

10. Suscepto ergo regimine, non tam sibi honorem quam onus judicans accrevisse, quasi nihil hactenus promovisset quod consummaverat, tunc incœpit, et qui sanctitate vitæ jandudum cæteros cunctos præibat, quod solum restabat, vincere se ipsum instituit. Sed cui nulla probaretur deesse virtutum, quo cresceret non habebat, nisi quod numero non poterat, adderet quantitati. Extendit ergo vigiliis, ampliavit orationes, protaxit jejunia, trivit carnem cilicio, corpus frigore cruciavit; et qui de se quod lueret non habebat, exemplo Christi, commissorum sibi peccata in se transtulit et languores. Eleemosynarum largitionem sic profudit, ut de remotis quoque provinciis ad eum fama exciti greges pauperum properarent: quippe qui nullam præmitteret munificentiae portionem. Operiebat nudos, famelicos reficiebat, procurabat languidis medicinam, mortuis sepulturam; peregrinis dabat hospitium, mœstis impendebat solatium, captivis redemptionem, pupillis tuitionem, viduis patrocinium exhibebat; abluabat manibus pauperum pedes, flebat oculis, ore osculabatur, capillis tergebatur. Postremo, tot exercebat misericordias, quot patitur humana vita miseras. Nec solum in pauperes, sed in omnes quoque ordines, in quosdam etiam episcopos sese liberalitas ejus extendit.

11. Nec minus interea suscepto fungebatur officio, singulis quibusque diebus sacramentorum mysteria celebrans, et publice prædicans verbum Dei, intentans peccatoribus terrores pœnarum, proponens gementibus gaudia præmiorum. Misericordiam et judicium cantabat tibi, Domine, judicium in rebelles, in supplices misericordiam. Tanta in labiis ejus gratia diffusa erat, ut quæ dicebat nemini displicerent. Notabat latenter vitia singulorum, culpam corripuens, non personam; et cum in ejus dictis se quisque recognosceret, nihil in se injuriose dictum poterat recognoscere. Neque vero aliquando illum in docendo materia destituebat, cum vitasua pro libro uteretur. Quoties illi quærendum erat quid diceret, in promptu sibi erat meminisse quid faceret.

12. Quantum ad distractionem, culpas persequabatur, naturæ parcebat: vitia odiens, homines diligebat. Arguebat in justitia delinquentes, suscipiebat in mansuetudine pœnitentes, sic zelum indulgentia, et zelo indulgentiam temperabat, ut nec ista corrumpere, nec illa vulneraret. **1424** In synodali tractatu de misericordia plurimum disputabat, et in reorum defensionem, quantum ratio pateretur, mentem exercebat et linguam, sacerdotes accusatos maxime tuebatur. In personarum acceptionibus non honores attendebat, sed mores; ut tanto cuique plus deferret, quanto plus quemque Deum diligere perpexisset. Circuibat ecclesias; monasteria visitabat; quocumque se verteret, spiritalis lætitia nascebatur; animas verbo, corpora cibo reficiebat;

circumquaque vitis extirpatis inserebat virtutes, et expulsis languoribus sanitates restituebat. Imo vultu et eodem animo fortunam utramque spectavit, ut nec prospera extolleretur, nec frangeretur adversa. In habitu et incessu mediocritatem servavit, in famulorum numero necessitatem, in qualitate honestatem quæsit. Prorsus sic publica ministravit, quasi privata contemneret; sic privata curavit, quasi publica non curaret; nec, sicut plerique solent, a fulgore ad fenum recidit, sed a splendore ad splendorem, a minori virtute transit ad majorem.

13. Jam totam Galliam splendor ejus irradiaverat, et ad solam ejus famam non pauci nobilium, sprete divitiis, Christum pauperes sequebantur. Unde æstimandum est quantum præsens Domino lucraretur, qui et ubi non erat plurimos convertibat. Jam regis Francorum et optimatum spes opesque de ipsius potissimum auctoritate pendebant; jam et ipsis episcopis magnus quidam et mirabilis habebatur. Omnes ad eum, velut ad fontem sitientes, in suis necessitatibus recurrerant. Omnes ex eo quod quisque cuperet hauriebant. Jam plane omnibus quidam humanus angelus, vel potius homo angelicus videbatur. Nam præter incomparabilem sanctitatem, qua mensuram hominis excedebat, tanta miraculorum potentia coruscabat, ut ei apostolicam inesse gratiam nullus ambigeret. De miraculis aliqua recensere, ex quibus cætera fides lectoris poterit æstimare. Nam et ex paucis multa, et majora ex minoribus, et ex manifestis occulta colligi solent.

CAPUT III.

Sancti Licinii ædificia, quietis studium, miracula.

14. Cum in solemnibus jejunio frequens populus ad ecclesiam convenisset, quo, scilicet secundum pastorem sui institutum, devotissime recurreret, ecce mulier, quæ a dæmonio tenebatur, cum vocibus furibundis et gestu vesano cælum irrupit, cœpitque per ecclesiam discurrendo mimos theatricos exercere, et verbis erraticis, qualia proferre solem ebrii, risum populi commovere. Intellexit vir sanctus conatum diaboli, cujus studium est semper, quantum potest, Dei servitium impedire. Imperato ergo silentio, cum populum de instanti materia pro tempore breviter monuisset, dæmoniacam illam sibi jussit adduci; et fusa super eam oratione, spectante populo, et rei exitum suspensis mentibus expectante, virtute crucis et sacris adjurationibus statim expulit inimicum. Recepta mente, femina grates egit, et publica oris sui confessione, grande apud omnes miraculum ampliavit. Nam se testata est septem prius habuisse dæmonia. Neminem ibi laudes Dei crediderim siluisse, nullum tacuisse putaverim merita sacerdotis. Vere enim forma capitis relucet in membro, et simul virtutis imagine magistrum discipulis repræsentat. De Maria Christus septem ejecit dæmonia; de hac femina totidem, Christo præstante, Licinius. Quamvis etenim non possit servus Domino comparari, in hoc tamen miraculo qua-

litas qualitati, sexus sexui, et numerus numero respondet.

15. Rursum dum inter missarum solemnium die Dominica more suo populum hortaretur, cæcus quidam, Gbiso nomine, in parte consistens, levata voce rupit silentium, implorans episcopum, ut qui verbo doctrinæ suæ mentium tenebras effugabat, ab ejus oculis, suis sanctis precibus pelleret cæcitate. Cui cum respondisset vir sanctus non esse hic locus interpellandi, et ne intempestive obstreperet, quoniam populi turbaretur intentio: Non hoc, inquit, præsul sanctissime, importunitati ascribas, sed fidei: non enim dubito me lumen protinus tuis meritis recepturum. Nam nocte præterita per visionem mihi revelatum est hanc tibi gratiam reservari. Unde et ad te properare sum jussus, ut mihi quod desidero largiaris. Hæc cum audisset episcopus, et de promissæ virtutis effectu nullatenus dubitaret, malens tamen hoc totius Ecclesiæ precibus, quam suis meritis reputari, communem pro cæco poni jussit orationem; sique finito missarum officio, populum dimisit, non quod ei futuri miraculi gratiam invideret, sed ut ipse popularem gloriam deollnaret: deinde secreto cæcum assumens, cum ejus oculos sacro oleo circumlisset, videntem et lætum remisit ad propria.

16. Cum ad B. Licinii virtutum famam infirmorum turbæ confluerent, et de vulgari frequentia contemplationi mens dedita molestiam pateretur, timens Dei servus ne forte de miraculorum magnitudine favor suam apud Deum mercedem minueret, statuit non ultra se turbis præbere concurrentium, sed intra secretam cellulam clausus, quietem cœpit angelicam meditari, uno tantum clerico contentus et duobus ministris. Sed cum nec sic pulsantium tumultus posset excludere, quippe qui ostio tenebantur, vocibus irrumpebant, et improbitate sua plerique desideratum extorquebant suffragium, necessitate coactus, locum dimisit, cœpitque ex illo flagitare a rege et comprovincialibus episcopis missionem, quatenus in locum suum alio subrogato, ipse ad eremum properaret. Cui petitioni cunctis reclamantibus (quis enim dubitaret destitutum pastorem absentia Christi gregem, lupis rapacibus prædam futurum), cum ei plus in hac parte detrimenti, quam in altera lucri fore objicerent; præterea privatum commodum publicis utilitatibus anteferre, contra legem esse contenderent charitatis, non quærentis quæ sua, sunt, sed quæ multorum, ut salvi fiant; victus tandem precibus et ratione confratrum, solitudinis intentionem deposuit, totusque quasi de integro ad exsequendam sibi creditam dispensationem conversus, familiæ Christi cœpit necessaria providere, intermissæ contemplationis jacturam fructuosæ actionis compendiis supplere festinans. Unde factum est ut ampliorem a Deo gratiam mereretur, qui totum se utilitatibus devoverat proximorum. Quod ut et mundo evidens esset, miraculis cum Dominus exinde majoribus et frequen-

trioribus decoravit. Ex quibus nonnulla recitanda sunt, quorum lamen paucitas pro sua magnitudine multorum possit numero cœquari.

17. Cœperat vir sanctus ædificare monasterium extra civitatem, non longe a muris, quod postmodum rebus et possessionibus copiose dotatum, in honorem S. Joannis Baptistæ, sicut optaverat, dedicavit. Ad quos opus visendum aliquando dum pergeret uno tantum familiarissimo sibi discipulo comitatus, obviam habuit pauperum turbam, qui ab eo cœperunt vocibus importunis eleemosynæ subsidia postulare: inter quos erant duodecim, quos cœcos partim, partim claudos fuisse accepimus: quibus cum nihil responderet episcopus, quippe cujus mentem assidua orationis, etiam inter eundem rapiabat intentio, iteratis eum pulsare clamoribus, et nullam permittere dissimulandi licentiam. Comotus ergo paulisper, gradum fixit, et velut ad sui defensionem, elevata contra eos dextra, signum crucis objecit instantibus. Protinus ad sancti zelum debilitas 1427 expavit et cæcitas, et fugata omni ægritudine, virtus crucis intulit sanitatem. Sanati ergo medicum, qui jam discesserat, sequebantur, ut ei grates agerent quas debebant. Respexit prior, agnovitque miraculum Magnobodus (hoc nomen discipulo) et præeuntem magistrum territus exclamavit. Qui et ipse respiciens vidensque gratiam quam meruisset ignarus, pro multiplici dono multam dedit gloriam Creatori, statimque accersitis per eundem discipulum opificibus, quos visabat, locum ex quo signaverat requisivit, sibi que in honorem et memoriam sanctæ crucis fundari jussit Ecclesiam, quæ usque hodie permansens, antiquum credentibus miraculum representat (69).

CAPUT IV.

Alia sancti Licinii miracula, morbus, mors, sepultura.

18. Mors erat, ut dictum est, sancto pontifici episcopatus sui per semetipsum visitare dioceses, et pia sollicitudine singularum non solum regionum, verum etiam personarum necessitates inquirere, ne qua forte vel sua, vel sacerdotum negligentia, grex sibi commissus periclitaretur. Spargebat ubique semina verbi Dei, et confirmationibus et benedictionibus populum roborabat. Super hæc de facultatibus suis indigentium supplebat inopiam, et cum hospitibus habebat omni tempore mensam communem. Contigit ergo ut inter alios pauperes hospitio leprosum reciperet, cujus statura corporis egregia, et membrorum elegans compositio majorem infelici morbo faciebat invidiam. Quem sanctus cum cibo proprio refecisset, in oratorium se recepit, et noctem quæ instabat, eodem assistente, duxit in somnum, dum precibus indefessus misericordem Dominum interpellat pro misero. Jam mane facto, exorcizatis aquis lavat infirmum, et ad sacrarum manuum

(69) Hujus meminit idem Marbodius in Vita sancti Magnobodi 16 Octobris. In suburbio, inquit civitatis suæ capitæ ædificare monasterium, exemplo vide-

A tactum cito citius lepra disparuit (70). O virum propheticæ dignitatis! O novum antiquæ virtutis exemplum! Non gloriatur in miraculis populus prior, ut legem veterem Novo præferat Testamento. Unus Dominus utriusque, cujus est æqua in utroque potentia. Habemus aquam, habemus prophetam, habemus leprosum; præsto sunt et nobis Naaman, Eliseus, Jordanis. Sed in hoc melior noster mundatus, quod ad priorem conversationem 1428 non est ultra reversus, nec a suo recedere sustinuit Eliseo, a quo litteris instructus divinis et Christianæ disciplinæ moribus institutus, mutato habitu comam deposuit: sicque per minores gradus probatus ex tempore, ad dignitatem sacerdotii tandem meruit pervenire: cujus vita laudabilis, et a magistri vestigiis non recedens, multis postmodum bene vivendi formam præbuit et exemplum.

19. Prætereunte præseule juxta portam civitatis, rei qui portæ janulo carcere tenebantur, cognito quod transiret, lacrymosis eum vocibus inclamabant. Super quorum motus angustia, statuit a loco non recedere, nisi prius miseros liberaret; nimirum in illis se victum reputans, quorum in se per compassionem transferebat catenas. Missis ergo nuntiis, interpellat custodem, offerens pro captivis redemptionis pecuniam. Sed cum illius pertinacia nec precibus flecti posset, nec pretio, vertit se fides vindicis quo solebat, ut quod ab hominis nequitia non poterat impetrare, ab insensibili materia mirabilius obtineret. Jecit in oculo carceris crucis signum; et statim, mirum dictu! ferrea serarum compago dissiluit, nec potuit solitam catenarum natura servare duritiam, ubi fortior incubuit fides. Solutis ergo vinculis, omnes prosiliunt; et a sancto sacerdote verbis et sumptibus confortati, cum gaudio revertuntur ad sua. Sunt et alia ejus multa non minus digna memoratu; sed propter compendium ista sufficiant. Nam fidelis quidem animus nihil ultra desiderat, infidelis autem nec plura reciperet. Nunc ad ejus transitum properemus.

20. Jam Dei servus bonum certamen certaverat, cursum consummaverat fidemque servaverat, restabat illi a justo Judice merces, victoriæ corona, vel bravium. Debeatur militi jam merito bonus ager, terra viventium; debeatur operario, qui pondus diei et æstus portaverat, æternæ quietis denarius. D Corruptus ergo mense Augusto vehementibus acutæ febris ardoribus, in spem adductus quasi jam dissolveretur, exitum suum lætissimus exspectabat. Sed cum post tempus refrixisset incendium, intelligens chronicam passionem, dolatum se et velut a vicino jam portu repulsum mæstus ingemuit; quippe qui præsentem vitam naufragium judicans, futuram patriam totus viribus inquirebat. Crevit ex dilatione desiderium, nec quidquam sibi propter recurrentis sæpe febris molestiam de prioris abtinentiæ consuetu-

licet beati magistri et prædecessoris sui Licinii.

(70) Usam aquæ benedictæ, et post preces lotum sanat.

dine relaxavit. Non idcirco mollioribus stratis **1429** incubuit, nec cibi aut potus qualitatem mutavit in melius. Imo vero multo nunc magis sollicitus ad Domini jam pulsantis ingressum quantum temporis supervixit, mentem semper reduxit a corpore, sola cogitans ad quæ ibat, oblitus omnium quæ linquebat.

21. Aderat mensis jam quartus, et aurum Christi purissimum tribulationis caminus satis probaverat. Dignus ergo per omnia in æternos. Domini thesauros reponi, Kalendis Novembris præsul sanctissimus migravit a corpore, sepultusque est magnifice, cum multa ordinum frequentia, in monasterio S. Joannis Baptistæ, quod ipse a fundamentis construxerat, ibique ad Deo serviendum assidue collegium instituerat monachorum. In cujus exsequiis angelos astitisse quicumque aderant persenserunt, tam in- **B**sueta repente perfusi fragrantia, ut ei nullam prorsus terrenam gratiam compararent. Sed et ibidem signorum ostensa consolatio, cunctorum qui de Pastoris sui dolebant absentia, tersit mœrorem. Nam nati sunt ipsa die ad ejus tumulum cæci duo, ægri complures. Nec sequentibus quidem usque ad ætatem nostram temporibus in ipso loco divina munera cessavere, ad animarum et corporum pertinentia sanitatem. Datur hic fideliter petentibus remissio peccatorum, datur languentibus optatum remedium, datur egentibus præsentis vitæ subsidium.

22. Hic ostensum est per præsentis patroni merita tam grande miraculum, ut merito plusquam miraculum nominetur. Nam, si est miraculum extinctum lumen oculorum reparari, plus esse patet miraculo, ubi nunquam fuerunt, oculos ipsos creari; **C** et si est cæcus qui habens oculos caret visu, qui ipsis caret oculis, plus est quam cæcus. Homo igitur plus quam cæcus, sed fide illuminatus præclara, ut rei exitus approbavit, ad sancti sepulcrum multo tempore, precibus assiduis et devotis supplicationibus incumbens, in quo tanta naturæ novitas apparebat, ut nec orbes haberet, nec locum, sed quod

1430 A monstro simile videatur, a superciliis facies plana descenderet. Undique multi ad hoc spectaculum confluebant, ut tanto latius manaret postmodum inauditæ fama virtutis, quanto prius ubique tanti monstri novitas neminem letuisset. Hic ergo dum incessanter precibus pulsat sanctum, ante ipsius corpus repente oculos invenit et visum; et quod illi abstulerat naturæ defectus, divinæ gratiæ, per sancti merita, reparavit effectus.

23. Hoc potissimum in fine operis velut epilogum idcirco posuimus, ut quia ultimum recitatur, primum occurrat memoriæ, cum nulla superjectæ narrationis mole sit obrutum. Ex quo utique vel solo constat id ad quod scilicet tota hujus laboris nostri spectat intentio, quam bene summo Domino serviat, et quam nihil ait desperandum fideli, quandoquidem divinæ gratiæ etiam naturæ impossibilitas non obsistit, per Christum Dominum nostrum; qui cum, etc.

24. Ego Marbodius indignus archidiaconus Andegavensis Ecclesiæ, Vitam B. Licinii episcopi descripsi et recognovi, rogatu canonicorum ejusdem Ecclesiæ. Unde mihi illi pro laboris mei mercede promiserunt et dederunt partem, et communionem orationum et benefactorum, quæcunque in ipsa Ecclesia sicut omni tempore et singulis diebus, dum vixero, unam Collectam in missa matutinali, *Deus qui justificas impium*; post obitum vero meum, totum servitium quod sit pro uno canonicorum in orationibus et missis, et per singulos annos commemorationem anniversarii mei facere, sicut unius canonici. Insuper omnibus et singulis diebus, præter festos dies, usque ad finem sæculi, cantare mihi post Primam, dum vadent in capitulum, psalmum *De profundis*, cum capitulo, *Requiem æternam*, et Collecta, *Absolute, Domine*. Hujus conventionis inter me et canonicos, sit dominus meus S. Licinius mediator et testis, et sponsor. Amen.

MONITUM AD VITAM S. ROBERTI

Primi abbatis Casæ-Dei a Marbodo episcopo Redonensi editam.

1431-1432 Quod de hac Marbodi lucubratione præfaremur, nihil oportunitus consuimus quam quod ad illam elucidandam præfati sunt nostri sodales R. P. D. Jo. Mabillon et Theodoricus Ruinart Actorum sanctorum ordinis sancti Patris nostri Benedicti, sæculo vi, parte II. p. 483. Sic autem habent illorum Observationes præviæ.

« Tanta fuit beati Roberti apud omnes sanctitatis opinio, ut paulo post ipsius mortem de festivitate in ejus honorem instituenda, publicoque cultu ei exhibendo actum fuerit. Ea fuit ejus describendæ vitæ occasio: quam provinciam in se suscepit Geraldus de Venna Casæ-Dei monachus, quique utpote beati viri capellanus rebus gestis ac miraculis ab eo patris præsens ut plurimum interfuerat. Id ex altera (71). Vita ejusdem sancti ediscimus, in qua hæc leguntur verba distinctione 2, cap. 6. » Geraldus de Venna discipulus et capellanus beati Roberti vitam et miracula ejusdem descripsit, etc. « Is vero Romam adiit, ac recitatis coram summo pontifice ac cardinalibus beati Roberti virtutibus impetravit ut ejus sanctissimi viri festivitas celebraretur.

(71) Illa est quam Bernardus composuit, et Tripartitam nuncupavit, quæque in Actibus præfatis SS. Ord. S. Benedictini hanc immediate consequitur.

Verum etsi in hac Geraldii lucubratione nihil nisi certum et indubitatum haberetur, aspicit tamen nonnullis quod *difficili ac proluxo stylo* exarata, ut ait Marbodus, tælium legentibus pareret. Quare ipse Marbodus, abbatis et monachorum Casæ Dei suasu, ad alteram concinnandam, vel potius ad eam quæ jam scripta erat, in meliorem te comptiorem formam revocandam manum admovit, quam cum uno libello comprehensam ad Casæ Dei monachos transmisisset, ita